

rum, ut primis notionibus secundæ accommodentur: Deinde rudiùs & vulgariùs debet tradi in Logicis de prædicamentis, quæ Metaphysicus ad limam subtilitatum accuratiùs exigit. Verbo me expediã: Si doctrina causarum est Logicæ considerationis, etiam doctrina prædicamentorum. Sed illud. Ergò & hoc. Probatur consequentia: Si entis differentia generales evadere possunt instrumenta disferendi; quidnã & propria ipsius differentia evadant talia instrumenta? Par certè est ratio, nisi contrarium probetur. Hinc infero: Sicut causa in Metaphysicis consideratur ut notio prima, in Logicis ut notio secunda: ita & prædicamentum. Jam respondeo ad 2. partem quæstionis; & ajo, prædicamentis non esse assignandum locum primum in Logicâ, sed illa omninò postponenda esse suis generalibus, sicut in Metaphysicis fieri videmus. Non video, quomodo doctrina de prædicamentis in Logicâ possit esse generalior doctrinâ de causâ, causato & ceteris locis, quæ in Metaphysicâ est specialior. Profectò notiones secundæ accommodandæ sunt primis. Id si fiat, nostra sententia prævalebit. Idem fecit *Olevian.* in sua Logica, & causam hujus sui facti reddit pag. 79.

Canones de prædicamentis in genere quatenus sunt Logicæ considerationis, duo sunt:

1 *Prædicamentum in Logicâ consideratur, tanquam classis, quæ summa rerum genera, & quæcunque illorum complexu continentur, comprehendit.*

Ipsa vox, prædicamentum, Græcè *κατηγορία*, est Logica. Metaphysicus enim substantiã & novem genera accidentis non tam vocat categorias, quàm quasi species entis. Interim videas in Metaphysicis etiam sic appellari. Tu verò sic statues; hoc vocabulum, *prædicamentum*, speciebus entis tantùm accommodari propter usum Logicum. Prisci enim Logici summa illa genera à prædicatione sic denominarunt, quoniam iis ad prædicationes conformandas nos uti posse viderunt. Atque hinc videre est, cur prædicamentum à nobis vocetur argumentum proprium; quia scilicet Logicus illud considerat tanquam dispositionem generum & specierum, quæ certè sunt species argumentorum. Sic v. g. prædicamentum substantiæ in Logicâ consideratur, quatenus est summum ge-

mum ge-